

Regnum Mortuorum.

Litterae familiares inter Vivos et Mortuos.

Ad Joannem Baronem Görtz. — In Elisium.

De mundo 22. Martii 1808.

Nunquam fuerat major causa, ad Ministrum Sveci, cum scribendi, quam nunc, dum ex omni parte Sveciae factum imminet. Quid quid Sveciam concernit, te certo afficit. Antequam autem thema litterarum incipiam, praemitto, quod *Voltaire* de te scripserat. Haec pro notitia, quae si non placent, pete de hocce viro magno satisfactionem, aut vero, ut te deprecetur. Quotidie eum in campis Elysiis alioquis vides, si forte in Parnasso apud Musas non sit.

Nunquam fuit, ita dicit *Voltaire*, quis uno eodemque tempore adeo tractabilis, et audax, quemadmodum *Görtz*. Nunquam unus Minister tanta media ex fatalitate semet evolvendi, et nullus adeo late patentes fines habuit; Nunquam quis tanto cum fervore ad scopum contendebat. Nullum, quantumvis extremum, eum terruit projectum; nullum medium ei inadplicabile; prodigebat is donaria, promissa, sponsones, veritatem, et mendacia. Quomodo haec tibi placet imago? Est tua. Pete rationem ab *Voltaire*.

Nunc de causa Sveciae: Politica Sveciae Regis bello priori erat impenetrabilis. Initio v debatur, in nullo nexu politico cum Borussia esse; argumento, veterem adhuc fuisse materiam irarum. Post pugnam Jenensem dispersas copias borussicas in Pomerania sua non suscepit, et simulabat neutralitatem; sed mox post pugnam Eylaviensem exiguas copias suas contra Gallos, qui Dantiscum oppugnabant, misit, quae circumstantia mentem ejus hostilem contra Galliam dextit; cujus sequela erat occupatio Pomeraniae Svecicae per Gallos; post pacem vero chronopolitanam publice ad partes Angliae accessit, rejecitque provocationem, ut ad partes reliquarum Potentiarum accedat. Russia quaeque tentavit, ut eum ab Anglia retrahat, sed incassum; postremum ejus responsum erat: se facturum, ne naves anglicae ad mare balticum veniant, si ipse domi contra hostilitates tutus fuerit. Post longas inutiles consultationes, tandem Imperator Russorum sequentem vulgaverat Declarationem,

Petropoli 10. Februarii: Dum Imperator violentias, quas Anglia contra Daniam attentaverat, intellexit, in justa indignatione de salute sui imperii sollicitus, Regi Magnae Britanniae declarari jussit, se propudiosum huncce agendi modum. hancque rapinam, quae hactenus sine exemplo est, aequis oculis spectare non posse, quam Anglia contra Regem, Consanguineum, amicum, antiquissimumque foederatum Russiae ausa fuisset. Imperator hanc mentem suam commun cavito officiose Regi Sveciae medio ejusdem Legati Petropoli residentis 24. Septembris 1807. Tractatus, Anno 1780 inter Imperatricem Catharinam, et Regem Sveciae initus; et alter inter Imperatorem Paulum, ac moderatum Sveciae Regem conclusus, continet reciprocas obligationes, quarum basis est principium illud: Ut mare balticum habeatur pro mari clauso, illudque, ac littora ejus ab omni hostilitate maneant immunia, utque hunc in finem ambo Imperantes quaevis media adhibere teneantur, quaeque in potestate eorum essent. Spectato hocce duplici Tractatu, Sua Majestas non tantum jus, sed plane obligationem sibi esse putabat, Regem Sveciae ad cooperandum adversus Angliam provocandi. Rex non abnegavit assumptas in se obligationes, ast renuit omnem cooperationem, donec copiae gallicae oras maris baltici non desererent, et portus germanicos commercio anglicano non aperirent. Agebatur de fraenandis Angliae violentiis, quae omnem concitaverant Europam. Imperator postulavit vi tractatum cooperationem Regis Sveciae; ast responsi loco illud ab eodem accepit oblatum, ut executio horum tractatum ad meliora tempora reservetur, nunc autem de eo agatur, ut commercio anglicano portus Germaniae pateant, quod idem est, ac servire hosti, contra quem communibus viribus agere oporteret; studium itaque partium Regis Sveciae in favorem Angliae ipsemet apertissime probavit. Die 16. Novembris jussit Sua Majestas alteram notam exhiberi, quae Regi notitiae dederat, Imperatorem cum Angliae Rege rupisse, Regemque Sveciae ad arripiendam communem causam rursus provocavit. Haec nota duobus propemodum mensibus adhaesit absque responso, quod tandem 9. Januarii advenit, et quidem plene in sensu priorum. Absit, ut Sua Majestas, haec recensendo, moderationem suam exprobrare vellet; quin potius solatium ipsi est, dum perpendit, omnia se arripuisse media, ut Regem Sveciae ad sequendum sibi salutarem sistemam deducere valeat; tandem cura populorum, et securitas Imperii sui, quae duo suprema Imperantium lex est, poscebat, ne quaestio: an Svecia contra Angliam cooperari velit? diutius indecisa maneat. Imperatori relatum erat; Angliam id agere, ut Daniam, metu, ut putabat, territam,

ad sistema suum alliciat, minabaturque, quod Rex Sveciae in Seelandiam copias misurus, Norvegiamque occupaturus sit. Cognito praeterea per Imperatorem et eo; quod, dum Rex Sveciae ad propositionem sibi factam non respondit, Londini occulte de foedere cum Anglia agatur, non potuit eadem Sua Majestas non perspicere, sicuti ditiorum suarum male consultum ita, si fervente inter Angliam et Russiam pugna, Rex Sveciae, proximus quippe Russiae vicinus, inclinationem suam ad causam Angliae fuco neutralitatis tegeret; Hinc Sua Majestas non potest relate ad Sveciam rem in ambiguo relinquere, atque adeo Regi neutralitatem concedere. Cum igitur dispositiones Regis evidenter probent, eum pro defensione communis cum Anglia causae semet parare, non supererat Imperatori aliud, quam cuncta arripere media, quae providentia eidem concessit; ut securitati regnorum suorum consulat, quod ipsum et Regi Sveciae, et toti mundo notum facit. Dum taliter Imperator obligatione sua defungitur, quam ipsi cura salutis, regnorum suorum imponit, non minus paratus est, omnia, quae hoc fine facit, in statu praeparationum relinquere, si Rex Sveciae cum Russia et Dacia ad occludendum Anglis mare balticum semet conjunxerit. Invitat ergo adhuc ultima vice cum omni candore sinceræ amicitiae Regem, Affinem suum, ne longius obligationi suae deesse velit, sistemaque adoptet, quod necessitas suadet, et commoda potentiarum septentrionalium exposcunt. — Quid lucrata est Svecia, a quo rebus Angliae favet? — Nihil profecto magis doleret Imperatori, quam si inter Russiam, et Sveciam res ad hostilitates devenire deberet, et unice ab Rege Sveciae dependet, partem sequi meliorem, idque e vestigio, quod ambas partes in amicitia, perfectissimaque harmonia conservabit. Haec declaratio Legatis omnium exterarum Potentiarum lingua gallica communicata fuit.

Post hanc declarationem copiae russicae Finniam ingressae, usque *Abo* praeruperunt Legatus svecicus Petro-poli, acceptis Passualibus, discessit, contra Legatus russicus Holmiae custodiae traditus, omnibus Legatis, ipso etiam anglico, factum improbantibus. Classis Svecica, quae ad *Abo* steterat, adpropingvantibus Russis, per ipsos Svecos combusta, ne in manus Russorum incidat, cum propter glaciem abduci non potuerit.

Fundamenta pertinaciae Regis Sveciae assignantur sequentia: 1) Quod Russi ex *Abo* per Insulam Alandiae Holmiam venire non possint, cum vis sua navalis russicam superaret. 2) Per Bothyniam autem orientalem ingentia sint stagna, locaque uliginosa, progressionem exercitus per Laplandiam impediencia, atque adeo nihil ab eis metudiendum habeat. 3) Ipsi autem via ad occupandam Norvegiam pa-

teat, quae defensoribus destituta esset. 4) Quod denique classis anglica per Oresundum ad mare Balticum penetrans, hostibus suis igne, ferroque minetur. Sed quid tunc futurum, dum copiae gallo danicae per Oresundum Scandinaviam invaserint, et Sveciam ex hac parte adgressae fuerint? Transitus hic in figura idem circiter est, quod transitus inter *Caletum*, et *Dover*; forte hic instituetur primum in *parvo* tentamen, ut simi e dein fiat ad *Caletum* in *Majori*. — Rumor volat, in Svecia exortam esse Revolutionem, quam Carolus Dux Sudermanlandiae ducit, quod tam n̄ adhuc probis indiget. — Ita stant res, charissime Baro! Narrato haec Hero tuo Carolo 12. et scribe nobis, quid responderit.

Et quid agunt Russi in Finnia? En, quae Historia scribuntur de 8. Martii Fragmenta quaedam exercitus nostri, quae in Finnia fuerat, Russis adpropinquantibus, recesserunt; gubernium enim Svecicum non vult bellum in Finnia coarctare; operatio centralis futura est ex Scania versus Norvegiam. Russi in Finnia firmum pedem figentibus, Dux eorum populos regionis per Proclamationem (Relege in Europa Nr. 27.) ad quietem provocavit, se amicum, non vero hostem venire declarans, utque diaetam, de futura regionis sorte consultaturam, convocet, monet. — Haec pro interimali notitia, caetera sequentur.

Biographia.

Joannes Baro Görtz ex Holsatia oriundus, propter audaciam suam, et ad res magnas alacritatem Carolo XII. in paucis charus. Quod ipse Rex in exercitu fuit, hoc idem fuit Baro hic in Cabinetto. Propter Tractatus audaces in Saxonia et Hollandia custodiae traditus, astu evasit. In Anglia pro favore Praetendentis voluit excitare revolutionem, et totam Europam bello involvere. Direxit is Financiam Sveciae, et debuit arripere media, quae ruinam adferebant, ut operationes Alexandri Septemtrionalis (ita nominabat Carolum XII.) pecunia juvare possit, Mortuo Carolo, Minister hic custodiae traditus, et ad populum placandum morti damnatus, ac 2. Martii 1719. capite minutus. Ita decidit ultimum caput Sveciae, velut ultimae reliquiae herois, qui feliciter pugnavit, et regna perdidit.

Tacitus. — Svetonius.

Erant Historici ejusdem temporis, qui turpissima facta 12. Imperatorum descripserant, sed in delineationibus suis non iisdem coloribus utebantur. *Tacitus* fert strenuum iudicium; *Svetonius* autem inducit eos, peccata propria confitentes. Unus habet stilum admodum pressum, et coactum; alter inducit Reos, facta sua recensentes; at utriusque idem est scopus; ut nempe crimen abominabile reddant. — Magnum pro humanitate servitii genus.